





1782, 4

ORDINARIVS  
SENIOR CAETERIQVE ASSESSORES  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS  
SVMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE  
QVONDAM IN COLLEGIO LOCVM OBTINENDI  
VIRO CLARISSIMO  
ERNESTO GVILLIELMO KVISTNERO

IVR. VTR. BACCALAVREO

D. XX. APRIL. A. C. MDCCCXXXII

COLLATOS INDICVNT

---

IN EST  
TRACTATI VNCVLAE DE ACTIONE PAVLIANA  
CONTINVATIO

ORDINE  
SACRILEGII  
LITTE  
BAMMOS IN IVRE HONORES  
AD C

AD C  
AD C



I. N. D.

Quae ante hos septem dies, ad Consultiff. Huibellii promotionem, de fundamento actionis Paulianae dixi, esse nimirum eam vel maleficio, quatenus dolosus deceptor, vel successor doli particeps petitur, vel aequitate, quatenus de recipiendo lucro cum bonae fidei possessore agitur, superstructam, notant, personalem esse. Et profecto errant, etsi quamplurimi id agunt, iuris interpretes, inter quos nominasse sufficiat BERGER. *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. II. §. 34.* SCHILTER. *Exercitat. XLVI. §. LI. et MENCKENIUM ad Pandd. Lib. XLII. Tit. VIII. §. I. qui inter reales eam collocant.* Errorem hunc, quem TRIBONIANVS §. 6. *I. d. Act.* verbis; *permittitur ipsis creditoribus rescissa traditione eam rem petere, id est, dicere, eam rem traditam non esse, et ob id in debitoris bonis mansisse;* genuit, non solum notat VLPPIANVS dum in *l. 10. pr. §. 12. et 18. et l. 14. quae in fraud. credit.* nostram actionem in  
A 2  
factum

factum nominat, quam nemo realem dixerit, sed ipsa etiam vis et effecta eius, quae retuli, luculentius demonstrant. Obligare eam ex fraude, non ex possessione, dixi; et probavi ex *l. 9. d. tit.* quae exceptionem praebet possessori, qui rem bona fide emit, non venditori, qui eam, sciens fraudandi consilium, a debitore accepit, illique ante litem coeptam vendidit. In vindicatione vero scimus exigi possessorem, vel verum, vel fictum, hoc est, qui liti se, falso asserendo possessionem, obtulerit, aut conuentus possessionem dolose deseruerit, *l. 25. l. 27. §. 3. l. 36. d. R. V. l. 150. d. R. I.* Porro ex lucro, quod quis ex re a debitore dolose dimissa percepit, non ex possessione rei, quam quis ignorans fraudem ex lucratiua causa habet, prodire obligationem, vt nihil intersit, ipsa res adsit, an nummi pro ea soluti, aliudue surrogatum, adduxi ex *l. 6. §. 11. l. 10. §. 24. et l. 11. d. tit.* Argumento, ex aequitate actionem, non ex ficto dominio prodire. Denique si rei persecutoria esset, non poenalis, quatenus vere talis est, idonea ratio deficeret, cur tam breui tempore pereat, et non perpetuo perduret secundum regulam in *l. 3. C. de Praescript. XXX vel XL annor.* comprehensam. Et cui facile non alienum videatur, et a iuris ratione abhorrens, actionem pro negotii diuersitate temporalem eandemque perpetuam dicere. Est enim quatenus de lucro possessori extorquendo agit, perpetua *l. 10. §. 24. quae in fraud. credit.*

Neque, vt sententiam meam deseram, efficiunt, quae habet SCHILTER. *d. l.* Siquidem obiectio, contingere posse, vt haec actio contra non possessorem detur, contra possessorem vero non detur, quod cuiuslibet *l. 9. d. tit.* satis fecisse sibi videtur, dum dicit, sufficere, Paulianam positus terminis

terminis habilibus esse realem. Quod si sufficeret, consequeretur, eodem iure actionem emti realem appellari, si contra venditorem ipsum rei venditae possessorem institueretur. Ut potius, in iudicanda quavis actione nobis oblata, ac idonea appellatione ei decernenda, tota res redeat ad causam obligationis efficientem, non ad id, quod petitur. Hoc si actionis nomen definiret, efficeretur, actiones, quibus id agitur, ut res tradatur, reales esse omnes debere. Illa vero quae vnice discrimen actionum constituit, immutabilis est, neque, ut aliis argumentis ex negotii qualitate factorumue diuersitate depromtis iuuetur, indiget. Ut potius domino semper liceat, rem suam, quia sua est, a quocunque, qui non ab ipso causam possidendi habet, bona an mala fide possideatur, vindicare. Reliqua, in quibus refellendis SCHILTERVS laborat, argumentis, quum sint stultitia, et a me in auxilium non vocata, eo lubentius mitto, quo magis, quae adduxi, sufficere existimo. Quod si cui forte secus videatur, is audiat ANTON. FABR. *Lib. XX. Coniecturar. Cap. XVI. et VINN. ad §. 7. Institut. d. Actio. num. 1. sq.* Mihi quidem VINNIVS in hoc vno censuram mereri videtur, quod causam actionis Paulianae efficientem vnam statuit, puta maleficium. Quod, ut in b. f. possessore probet, dicit, *ab initio dolo carentem, improbe facere, si postquam cognouerit, rem in fraudem creditorum alienatam esse, eam sui lucri causa retinere tenter.* His, etsi vera sunt, non existimo, quod probandum erat, probari posse. Gignuntur enim actiones obligationibus, non has gignunt. Igitur obligationem actio sequitur, non praecit, et ob id naturae rei magis conuenit, actionem nostram, quatenus contra bonae fidei possessorem tendit, vel, quatenus maleficij, ob tempus praeterlapsum, haberi ratio nequit,

## VI

nequit, in factum, id est aequitati naturali innixam nominare. Si tu arti nostrae magis consentaneum putes, aequitatis loco contractum vel quasi substituere, vi cuius quilibet fingendus sit, cum alterius damno locupletior fieri nolle, non resistam.

Quae hactenus disputauimus de iusta appellatione actioni nostrae decernenda, ad rem propositam quidem pertinent, vtilitatem vero, quia actionis nomen edere non oportet, modo constet, contra quos, et ad quid agere liceat, non adeo magnam praestant. Eo magis vero nosse refert, praesertim, quod breuissimo tempore circumscribitur, quando liceat nostra actione experiri. Qua de re *VLPIANVS* in *l. 6. §. fin. d. tit.* sic habet: *huius actionis annum computamus vtilem, quo experiundi potestas fuit, ex die factae venditionis, et fere iisdem verbis in l. 10. §. 18. eod. annus huius in factum actionis computabitur ex die venditionis bonorum.* *WESENBECIUS* in *Parat. ad Tit. D. quae in fraud. credit. n. 12.* venditionem, cuius meminit *ICTUS* intelligit de venditione a debitore facta, idemque agit *MEVIUS* *Part. VII. Decif. CCCLIX. n. 5 §.* ad quorum auctoritatem, Saxonicus noster *Papinianus*, *CARPOVIUS* *Part. II. Const. III. def. 20.* et *MENCKENIUS* *ad h. tit. §. fin.* prouocant. Vt adeo mirandum non sit, hanc opinionem si pragmaticos saepe amplecti videamus, apud quos tanta est iuris interpretum auctoritas, qui habent a nominis celebritate aliquam commendationem. Quamuis, falsissimam esse, et a iuris ratione reiue subiectae natura, mirum, quantum abhorrentem, nihil demonstrari possit facilius. Vidimus, vt *Paulianae* sit locus, debitoris fraudem, et eius euentum coniunctim requiri. De fraudis euentu,  
id



id est, ipsa creditorum defraudatione, iure Romano cense-  
 tur, ante excussionem omnium debitoris per venditionem  
 bonorum constare non posse, adeoque necessario conse-  
 quitur, nec prius nasci actionem, et, secundum notissimum  
 illud, non valentibus agere creditoribus nullam currere prac-  
 scriptionem. Quod uti per se clarum est, idem ULPIA-  
NVS apertius notat in *d. l. 10. §. 1.* verbis: *ita demum re-*  
*vocatur, quod fraudandorum creditorum causa factum est, si*  
*euentum fraus habuit; scilicet si creditores, quorum fraudan-*  
*dorum causa fecit, bona ipsius vendiderunt.* Quae si ME-  
VIUM non plane praeteriissent, non potuisset in eam opi-  
 nionem incidere, praescribendae actionis Paulianae tempus  
 computandum esse ex die, quo fraudulentam debitor su-  
 sceperit alienationem, v. MEIER. *Colleg. Argentorat. L.*  
*XLII. Tit. VIII. §. 9.* VINN. *d. l. in fm.* BERGER.  
*Oecon. Iur. Lib. II. Tit. II. §. XXXIV. n. 19.* HOMMEL.  
*Rhapf. DXXXIX. n. 17.*

Iustior nostro iure suboritur dubitatio, tempus bono-  
 rum debitoris publicae sub hasta venditionis expectandum  
 sit, antequam de rebus in fraudem creditorum alienatis agi  
 possit. Siquidem *§. 1. Tit. XLI. O. P. S. R.* docemur,  
 institui prius iudicium vniuersale concursus creditorum, ac  
 debitorem bonis interdici non posse, quam constet, euni,  
 pluribus communem, non esse soluendo. Qua de re quam  
 primum constat, simul de fraudis euentu, id est, facta cre-  
 ditorum per fraudulentam alienationem defraudatione con-  
 stare videtur. Itaque ex origine iudicii vniuersalis simul  
 etiam creditoribus, vel curatori bonorum, nasci videtur  
 potestas, Pauliana experiundi. Equidem hac l. non existi-  
 mo circa natales actionis nostrae quicquam mutatum esse.

## VIII

Vt deueniri possit ad iudicium vniuersale concursus creditorum, non oportet, apparere, quantum cuique creditorum desit, quod per venditionem bonorum demum efficitur, sufficit, si apparet, integra, quae debentur singulis, solvi non posse. Transfert hoc iudicium possessionem et administrationem bonorum debitoris in creditores, seu curatorem bonorum, societatem eorum referentem, et sic transfert, vt ad venditionem deueniri possit. Idem iure Romano, impetrata a creditoribus possessione bonorum, efficiebatur, et tamen, venditis demum bonis, quum, quantum cuique deesset, appareret, Paulianae vsus concedebatur.

Effecit tamen iuris antiqui mutationem in concursu creditorum Decis. nostra verbis: *trüge es sich auch ferner zu, daß jemand einer Erbschaft oder sonst seines Recöts sich begeben, und es entstünde nachhero zu seinem Vermögen ein Concursus creditorum, oder es würde auch solches zu Bezahlung eines einzigen Gläubigers nicht zureichend befunden et sequentibus.* Ex quibus meo iudicio consequitur, qui solvendo non fit, si pluribus debeat, curatori massae, statim, exorto concursu factaque bonorum debitori interdictione, licere Paulina experiri, sin vni, huic, bonis demum venditis, et solutioni, quanta ipsi debetur, non sufficientibus. Obiicere quidem possis, non apparere, hanc fuisse Llatoris mentem, vt terminos actionis nostrae innouaret, adeoque, secundum iustae interpretationis praecepta, quae correctorias leges restringere, non ampliari iubet *l. 32. §. fin. C. d. Appellat. et Consultat.* admitti non posse, hac in re nostram Decisionem ab antiquo iure secedere. Quam obiectionem, etsi non leuis momenti esse agnosco, tamen, quoniam verba clara sunt, quae orto concursu Paulianae vsus

usunt curatori bonorum tribuunt, mihi persuadere non possum, facta bonorum cessione, vel interdictione, audiendum esse, qui Pauliana secum agenti curatori bonorum nondum natae actionis exceptionem obuertat. Transitorie monere liceat, d. l. in *Decis. nostra* quod curatori litis tribuitur, de curatore bonorum intelligi debere. Cogitari aliter non potest, quam, scribae, vel typographi incuria hanc appellationum variationem irrepsisse. Siquidem curatori litis, qui debitorem refert, Pauliana experienti, non potest non exceptio impugnationis facti proprii, vel certe, tua non refert, obfistere. Ad rem ipsam vero ut redeam, non debet nauci videri curata disquisitio, ex cessione seu interdictione bonorum, an eorum venditione dicenda sit Paulianae origo. Cuius utilitas apud nos, admixtis substantiae debitoris saepius bonis feudalibus, inprimis cernitur.

Nimirum ponamus, esse inter bona debitoris communis, cui nec filii defint, fundum feudalem, successionis iure extraneis quibusdam ex simultanea inuestitura Saxonica obligatum. Quae si ita sunt, vassallus ipse debitor, eiusque mascula proles, quibus ab hereditaria beneficiariam discernere successionem non licet, aes alienum ex ipso feudo soluere obligantur, illudque, ne resistente quidem ob remotam aperturam spem ex *Mandat. Feudor. nouiss.* domino directo, vendere possunt, quin, vrgentibus creditoribus, tenentur. Contradicunt vero, suoque iure venditioni contradicunt, creditoribus non obligati simul inuestiti, quibus, et quorum filiis, extincta vassalli debitoris prole, successio in beneficium promissa, ipsaque simultanea inuestitura, tanquam condominiumi quodam genere, stabilita, et a domino directo confirmata est. Quibus ita comparatis, nulum

lum est aliud, hanc iurium complexionem extricandi, medium, quam, vt iudex, mediante sequestro vel colono, administrandam substantiam feudalem sibi sumat, eiusque fructus, continua annorum serie, in solutionem, vel deminutionem nominum, vel secundum potentiam privilegiorum, vel habita quantorum, quae singulis debentur, ratione, impendat. Fieri igitur potest, si fructus feudi vsuras sortium, quae debentur, superant, diuque viuis ipse debitor eiusque filii interfunt, vt, longo temporis interuallo praeterlapso, sum quisque creditor consequatur, et contra, si mox debitor, eiusque mascula proles praematura morte eripiantur, vt omnes defraudentur. Quis igitur in tanta conditionis incertitudine, salua re, definiuerit, futurumne sit, vt creditores defraudentur, an minus. At sine fraudis euentu actio Pauliana nulla est. Jam non spernenda videbitur d'squisitio, statim bonorum cessione vel interdictione facta, an iis demum venditis, hoc iuris remedio vti liceat. Equidem illud affirmare malim partim, quia nostra decisio, exorto concursu, experiundi veniam largitur, partim, ob summum creditorum, ex rei iurisque restituendi periculo, probationisque difficultate, discrimen, partim denique, quia creditor, cui totum statim debetur, si, diuisis portionibus, separatisque temporibus redditur, fraudari existimandus est, vt tamen creditores, si vicerint Pauliana, pro modo accepti, suas contra debitorem communem actiones cum ad effectum reo cedere oporteat, quo possit is, quantum sibi Pauliana ablatum sit, ipsis plane dimissis, a debitore, vel eius heredibus recipere.

Venio iam in alium locum, iisdem fere difficultatibus implicatum, puto terminum ad quem nostrae actionis.

Dari

Dari eam in *l. l. l. 6. §. 14. l. 10. pr. et §. 24.* legimus, quatenus poenalis est, et, ut integrum ius, quale fuerit ante fraudulentum debitoris factum, restauretur, postulat, intra annum utilem, et elapso eo, quatenus in extorquendo successoris lucro versatur. Hanc igitur, quam potissimum actionis in factum appellatione insigniunt responsa prudentum, natura aliarum personalium perpetuam esse, qui negat, scio neminem. Illa vero poenalis iisdem hodie cancellis contineatur, an IVSTINIANI Constitutione, quae prostat in *l. fin. C. d. Temp. in integr. restituitur.* per continuum quadriennium concessa sit, non una est omnium sententia. Glossator *ad h. l. lit. m.* dum hoc negat, videtur supponere, IVSTINIANVM in mente habuisse maiorum ob absentiam restitutionem, adeoque, natura omnium legum correctoriarum, negat, hanc ad alias restitutionum causas produci posse. Alii, qui eandem sententiam amplectuntur, vel certe sibi persuadere non possunt, hac lege id effectum esse, ut, ubicunque utilis anni in veteri iure mentio fiat, eius loco quadriennium continuum surrogatum censetur, hoc argumento ingrediuntur, ut dicant, IVSTINIANO negotium fuisse cum beneficio restitutionis in integrum eiusque terminis ampliandis, adeoque extensionem illam ad actiones in hoc vel alio exemplo diferte proditas pertinere non posse, vti ex BRVNEMANNO *ad diff. l. C. num. 5.* intelligimus. Huic opinioni permulti subscribunt, et ii quidem bonae notae, magnique in foro nominis interpretes, inter quos, nullis reliquis, nominabo MEIER. *Colleg. Argentor. Lib. XLII. Tit. VIII. §. 9.* SCHILTER. *Exercit. XLVI. Supplem. post fin. §. XLI. adi.* CARPZOV. *P. II. C. III. Def. 20. et* MENCKEN. *ad Pand. d. Tit. §. fin.* Neque tamen desunt alii non leuioris a-

minis celebritate commendationis, qui, omnino in locum utilis anni ex *d. l. fin.* quadriennium continuum successisse, adeoque etiam hoc loco per eundem temporis decursum creditoribus agendi ius esse, affirmant, idque agunt BRVNEMANN. *d. l.* NOODT. in *Oper. Tom. II. pag. m. 105.* VOET *ad Pand. Lib. IV. Tit. I. §. 16 sq.* BERGER. in *Oecon. Lib. II. Tit. II. §. XXXIV. not. 19.* HOMMEL. in *Rhaph. Obseruat. DXXXIX.*

In hanc ego sententiam existimauerim eundem esse. Etenim glossatoris opinioni, esse *l. fin. C. de Temp. in integr. restit.* de sola maiorum ob absentiam restitutione intelligendam, ipsa huius legis verba sub finem obuenientia, *vel aliis legitimis causis* refragantur, quae satis declarant, hanc fuisse Llatoris mentem, ut maioribus in omnibus iustis restitutionis causis, idem, quod minoribus temporis laxamentum largiatur. Et qui propterea, quod peculiaris actio creditoribus deceptis data sit, huc trahi non posse Iustiniani constitutionem arbitrantur, verbis magis, quam rei, inhaerere mihi videntur. Alienatio a debitore facta bonis non interdicto, et qualecunque eius factum cum bonorum deminutione coniunctum, quia domino rebus suis etiam abuti licet, ipso iure subsistit, adeoque transitum domini, iurisque translationem, obligationem, vel eius remissionem, operatur. Praetor fraudis odio, deceptis creditoribus ut auxilietur, dat ipsis actionem, qua mediante iure stricto valida et perfecta reuocantur. Quae dum facit, nonne restituit? Neque id mirum, dum sine culpa, interueniente aduersarii fraude, deceptum restitutionis beneficio dignum leges iudicant *l. 7. §. 1. D. d. in integr. restituit.* Dixerit igitur Praetor, *animaduertam, ratum non habeo, iudicium dabo,*

*dabo, actionem dabo, quae itidem verba in edicto occurrunt, quo absentibus laeſis ſubuenitur, idem eſt. Neque efficere quicumque poſſit, ſi quis obſistere velit, eſſe in integrum reſtitutionis beneficium ſubſidiarium, nemini patens, qui alio iuris remedio non deſtituatur. Dixi, et ipſa res loquitur, ipſam Paulianam actionem, quatenus poenalis eſt, eſſe aliquod genus reſtitutionis, ab eodem Praetore, qui omnis generis reſtitutionibus natales dedit, inuentum. Cui accedit, IVSTINIANVM in *d. l. ſin. profiteri*, ſe vtilem annum in continuum quadriennium transformare velle. Igitur DIONYS. GODOFREDO in *not. 4. ad d. l. et VOETIO d. l.* accedo, affirmantibus, hoc quadriennium non pertinere ad actionem doli, quam ante aliquot annos CONSTANTINI conſtitutio obuia in *l. ſin. C. d. dol. mal.* per continuum biennium conceſſerat, quia tum temporis annus vtilis, quem, ſe non amplius ferre velle, profiteretur IVSTINIANVS, erat ſublatus. Accedit, in hac laeſione, contra quam perpetua in factum actione ſuccurritur, temporis laxamentum non adeo neceſſarium fuiſſe. Eandemque ob cauſam, quod Pauliana actio poenalis, qua, vt deceptis creditoribus contra fraudis conſcios ſucceſſores ſubueniatur, ſumma aequitas poſtulat, vtilis anni limitibus continebatur, illam Iuſtiniana conſtitutione comprehendendi, certum habeo. Et quanquam Praxis hac in re ſibi non omnino conſtat, meminim tamen, Senatam Prouocant anno huius ſaeculi ſeptuageſimo ſeptimo in cauſa *Lippmann Meyer contra von Schönberg*, itemque, octoageſimo primo in cauſa *Michaelis Curat. Bonor. contra Michaelis* hanc ſententiam, quam aliis praeiudiciis probatam cognouerat, amplexum fuiſſe.*

Alteri Paulianae actionis parti, quae in factum est, et hanc creditoribus utilitatem praestat, ut lucrum restituat, quod quis ex fraudulenta debitoris bonorum suorum diminutione habet, ipse fraudis conscius sit, an minus, multis inhaerere, non est opus. Hanc enim sola debitoris fraude sustineri, et praescripta poenali, contra fraudis participem, quin etiam contra inscium fraudis dari, et perpetuam esse, largiuntur omnes. Et notavi sub finem prioris prolusionis, quae sit lucri aestimatio in fraudatore et fraudis participi, quae in horum herede, quae denique in fraudis inscio, seu bonae fidei successore. Quibus, quoniam verba, quantum lucri heres fraudis consocii per hereditatem accepit, duplicem significationem admittunt, hoc addo, lucrum heredis non esse, quantum lueri a defuncto percepti in hereditate deprehenditur, ut si defunctus illud vivus consumserit, heres non teneatur; verum potius verba *l. ii. quae in fraud. credit. in id, quod ad heredem peruenit*, notare, heredem obligari, si tantum per hereditatem accepit, quantum lucri defunctus cepit ex negotio in detrimentum creditorum suscepto. Hanc enim interpretationem exigit natura obligationis, ex contractu, vel quasi, in heredes transitoria.

Dein verbis in *fn. §. 1. l. 25. d. tit. obuiis: in maritum, qui ignorauerit*, (dotis causa) non dandam actionem, non magis, quam in creditorem, qui a fraudatore, quod ei deberetur, acceperit, quum is indotatam uxorem ducturus non fuerit; docemur, romanos dotis acceptionem onerosis accensere, quam lueratiuis causis, maluisse. Quod nostrae reipublicae rationi an conueniat, vehementer dubito. Non, quod existimem, leuiora esse nobis, quam romanis, matri-



matrimonii onera, quae potius ob numerosiorem germanorum prolem saepe grauiora esse solent. Sed quia longe matata ab illa romanorum prodiit inter nos dotis facies. Iure romano fauore nuptiarum, ad quas praemiis alliciendi esse censebantur iuuenes, paterni erat officii, dotare filias, quae indotatae idoneam et honestam nubendi conditionem non inuenirent. Contra Serenissimus Saxoniae Elector, quum viderit deterrendos potius, quam inuitandos esse ad matrimonia ciues, hanc dotandi obligationem sustulit, et indotata, inuidiae romanis plenissima, connubia permittit *Deciss. XXIX. d. a. 1746.* Ex his, si quid video, consequitur, maritum, etiam sustinendorum matrimonii onerum causa datur, dotem accipiendo lucrari. Videlicet, ut haec onera sustineat, maritus, qua talis, dotatam habeat mulierem, an indotatam, tenetur, neque existimandus est ducturus non fuisse, si nouerit indotatam. Et, si hoc etiam ponamus, sufficit, id accipientis lucro factum existimari, quod ab eo praestatur, qui nulla iuris necessitate ad dandum adstringitur. Nec apparet, quum apud nos pater ad dotandum non teneatur, qua iuris specie haec obligatio eius creditoribus affingi patiatur. Certe reipublicae Saxonicae magis interest, ut suum cuique praestetur, quam ut filiae debitoris obaerati nubendi sit opportunitas. Quorum argumentorum pondere conuicto certa mihi sedet sententia, quam focer sciens, se non esse soluendo, dotem dederit, eam generum bona fide accipientem vel integram, vel, si pro parte consumserit, quantum tempore institutae actionis, vel insinuatæ potius, per quam in mala fide constituitur, citationis superfit, restituere debere.

Caeterum,

Caeterum, quanquam firma fiat regula, petitionem lucri, ex fraude debitoris percepti, esse perpetuam, aliquam tamen in successore fraudis infcio exceptionem admittit. Si videlicet ponimus, lucrum istud esse rem mobilem, non vitiosam, per annum Saxonicum bona fide possessam. Hoc enim praeterlapso, possessorem Saxonicae rerum mobilium praescriptionis defensio tuetur, cui vel contra vindicationem rerum, post institutum concursus creditorum emissis edictalibus iudicium, nulliter alienatarum, locum relinquit  
 HOMMEL. d. l. in princ. th. 1. et 3.

Supereft, ne ultra limites mihi constitutos vager, vt que fidem promissi liberem, *Decisioni XXV. d. a. 1746.* paucis inhaerere. Facile patet, in ferenda hac lege mentem fuisse, reprobare distinctionem aliquam iuris romani, acutiorem ac subtiliorem, quam aequiorem veriolemque. PAVLVS in l. 23. pr. D. d. V. S. sic habet: *qui occasione acquirendi non vitur, non intelligitur alienare; veluti, qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur*: et quod ad rem nostram propius attinet, VLPIANVS in l. 134. D. d. R. I. *non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore, sed cum quid de bonis diminuitur, et in l. 6. pr. quae in fraud. credit. pertinet Edictum ad deminuentes patrimonium, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur.* Hinc, qui non parendo conditioni committendae stipulationi anteuertat, hereditatemue legitimam vel testamentariam, et, quod magis mirum videri posset, legatum, cuius ipso iure dominium transit, repudiauerat, actioni Paulianae locum fecisse non habebatur, d. l. 6. §. 1. 2. 4. Vt ne quidem contra eam commississe existimaretur, qui, adita hereditate, iure, ex Scto Trebelliano, aut

aut lege Falcidia, sibi nato contra fideicommissarios legatarios uti noverit, idque ex fidei potius pietatisque testatori debitae plenitudine fecisse censeretur, *l. 19. §q. D. d. tit.* Quae inter acquirendorum repudiationem omissionemque, et acquirentorum deminutionem distinctio, quam Praetoris edictum in iure civili corrigendo versaretur, quam ratio non destituebatur, dixerim tamen, magis argutam esse, quam veram. Quandoquidem profecto, qui id agit, ut non habeat, vel ius sibi delatum spernit, res suas deteriores facit, et patrimonium suum vere imminuit. In primis contortum clare cernitur ratiocinium in *d. l. 19.* dum permittitur, non uti legis Falcidiae beneficio, aditione hereditatis vere quaesito, idque fidei pietatisque erga defunctum obtentu. Quod sane absolum, cogitare, pleniorum mortuo fidem deberi posse, quam creditoribus suum postulantibus.

Igitur non mirum, cogitasse ac decertasse recentioris aevi Ictos, rectiore aequitatis sensu nutritos, de temperanda, et, quantum fieri possit, coercenda hac, reipublicae perniciofa, erga dolosos decoctores indulgentia, eique praxin passim restituisse. Cuius rei nos certiores faciunt, quae habet IACOB. GODOFREDVS ad *d. l. 134. D. d. R. I. in Opp. pag. m. 1078 fs.* qui simul ipse notat, *tum demum huius iuris civilis regulae locum esse debere, cum renunciario delati lucri, iusto aliquo vel favorabili colore, iureve sustineri possit, non, si mero odio in alterius necem renunciatur,* quae BRUNNEMANN. proponit ad *l. 6. quae in fraud. credit. num. 7. §q.* qui distinctionem inter lucrum deferendum atque delatori, utque illius, non huius, abiectione concedatur debitori, commendat, et quae docet SCHILTER. *Exercitar. XLVI. §. fin.* qui modo dictam BRUNNEMANNI distinctionem

C

in

## XVIII

in foro receptam testatur, simulque actionem, quam iuris romani praecepta non agnoscant, in foro canonico et conscientiae admitti arbitratur. Sed quis non viderit, haec omnia aequitati magis, quam legibus esse consentanea. Unde mirandum non est, nec praxin fuisse communem, neque constantem, quod satis ex iis liquet, quae legimus apud BERGER. *d. l. n. 21.* WERNHER. *Part. I. Obseru. 289.* et MENCKEN. *ad Titul. quae in fraud. credit. §. 3.* Estque haec res publicae fidei eo magis damnosa, quia, dum ponitur, non alienare, qui occasionem acquirendi omittit, et lucrum sibi oblatum spernit, ne tum quidem debitor hac facultate destitui existimandus est, quando bonis cessit, vel interdictus est. Idque olim in Saxonia Electorali obtinuisse, memini, me in schedis paternis legisse, ut tantum marito non concessum fuerit, successione rerum mobilium uxoris suae in fraudem creditorum, quippe in quam ius perfectum per thalami conscensionem, sibi quaesuerit, se abdicare. Est igitur insigne, quod adiecit Serenissimus Saxoniae Lator Paulianae actioni supplementum, dum cuiuscunque iuris remissionem, quaesitum, an delatum, an eius deferendi spes sit, alienatione comprehendit, eamque adeo a debitore, vel post exortum concursum, emissasque editales, vel, quum non amplius soluendo esset, factam, aut nullam esse constituit, aut eius impugnandae copiam facit.

Dein supra vidimus, praeuiam creditorum defraudationi debitoris fraudem fundamentum Paulianae actionis efficere. Ut, etsi non semper fraudis participatio ex persona successoris sit necessaria, sine debitoris fraude, nulla vnquam sit restituendi obligatio. Quod naturale est, nec fere mutari potuit nostra Decisione, si iniquissima quidem, plurima.

plurimarumque rixarum mater futura esset, ob lapsum bonorum, impugnationis omnium a debitore communi, quovis tempore et modo factarum alienationum permissio. Mihi vero partim, quoad fraudis probationem, partim, quoad ipsius actionis naturam, videtur ius nostrum et haec ipsa lex ab antiqui iuris ratione quodammodo recessisse. Iure Romano, bonis debitoris a creditoribus possessis, nondum dominium ab illo in hos translatum existimabatur. Adeoque posthaec suscepta a debitore alienatione, opus est in factum actione *l. 9. l. 10. §. 16. quae in fraud. credit.* fraudis demonstratione, quae ex ipso tum facto apparet, insuper habita: Nostro iure, facta bonorum interdictione, seu, uti nostrates loqui solent, exorto Creditorum concursu, vel etiam affixis edictalibus, statim dominium vniuersale bonorum debitoris censetur in creditores translatum, ut, si quid postea, a debitore retentum, venditione, cessione, remissione, vel alio quouis modo alienetur, id omne, a non domino factum, iure existimandum sit, nullitatis vitio, quod initialia nostrae decisionis verba satis euincunt, laborare, adeoque per longissimum tempus iure reuocetur, nisi possessorem rei mobilis bona fide munita possessio citius tueatur. Ut vel de hoc, ob vitium rei, quasi furtivae, inhaerens, non inepte dubitetur.

Ante vero cessionem, captamue a creditoribus possessionem bonorum, vel factam earum interdictionem, si debitor alienauerit, ius Romanum, ut actor, Pauliana expertus, fraudem debitoris demonstraret, exigit. Quam demonstrationem, si quis, cum habeat creditores, vniuersam bonorum suorum substantiam alienet, ipsa negotii natura, comprehendit, si per alienationem soluendo esse desinat, praesumptio iuuat quidem, sed non absoluit *l. 17. §. 1. quae*

*in fraud. credit. l. ro. qui et a quib. nmiss.* Nostra Decisio verbis: *Da er an Seiten des Schuläners, daß der Abfall der Nahrung zur Zeit der beschehenen Renunciacion bereits vordanden gewesen, erweisen wollte, si quidem im Abfalle der Nahrung seyn, ac defuisse soluendo esse, mihi sunt eadem, conficit, huius rei demonstratione fraudis probationem contineri.* Neque id iniquum, cum fraude carere non possit, qui, dum scit, se soluendo non esse, substantiam suam imminuit. Et, si ponamus, eum iusto amplius de facultatibus suis censuisse, certe latam culpam committit, quam scimus, quoad interesse ciuile, dolo equiparari. Nemo putet, alienata a debitore intra bimestre ante institutum concursus creditorum iudicium, cuius meminit *Mandat. contra Bancaeruptores d. a. 1766. §. 12.* in hanc classsem non pertinere, et post concursum perditis equiparanda esse. Quae enim ex hac sanctione ob fraudis magnitudinem poenae accrescunt, factae alienationis ius nequaquam ingrediuntur, vt tantum tam breue temporis interstitium probationi, non soluendo fuisse debitorem, magnopere auxilietur. Aeque minus ex adductis nostrae Decis. verbis inferre licet, hodie fraudis participationem ex persona successoris insuper habendam esse. Quum enim sciamus, ad extorquendum successoris lucrium praeter debitoris fraudem nihil requiri, et neminem praeterire possit, hoc loco de alienatione, quae ex causa onerosa descenderit, legislatorem non cogitasse, hac in re quicquam iuris antiqui immutatum esse, non apparet.

Pauca haec ex actione Pauliana delibasse sufficiat. Quae attuli, vt appareat, quemadmodum ei nostra Decisio insigne et reipublicae maxime salutare dederit incrementum.

tum, non deesse alia, in quibus declarandis certiusque definiendis Llatoris cura occupari possit.

Propero ad eum, cuius causa haec scripta sunt, quem, si propius noris, facile dubites, ob commendationem, quam ab Illustri Parente insignem habet, an ob ipsius egregias virtutes magis amare debeas. Puto, quem omnium os Saxoniae decus, Lipsiae amorem conclamat, CHRISTIANI WILHELMI KVISTNERI filium dignissimum,

V R V M

CLARISSIMUM ET CONSULTISSIMUM

ERNESTUM GVILIELMUM

KVISTNERVM

Ipsium audi, vitae suae decursum enarrantem.

*Contigit Lipsia mihi patria, ibi natus sum die III. Nouembris anno huius seculi LIX, patrem nactus D. CHRISTIANVM WILHELMVM, Serenissimo Electori Saxoniae a Consilio Camerae intimis, et ciuitatis patriae Consulem primarium, matrem, EMERENTIAM CHARITAM e gente SCHNEIDERIA, cuius Venerandae matris praematura mors, anno LXXIV. sequuta, tanto acerbior mihi fuit, quanto insignior eius in me educanda pietas atque cura, innumeris modis mihi demonstrata, semper extitit. Patrem vero, qui tantis iamque eximiiis quini paterni meaeque salutis studiosissimii documentis me et semper adiuit et adhuc ornat, quantis filius a patre indulgentissimo cumulari potest, viuum et sospitem omni, qua possun, obseruantiam veneror,*

veneror, cui, ut Deus vitam longaeuam, omnibus verae felicitatis bonis  
 florentissimam cumulatissimamque largiatur, ex animi sententia precor.  
 A teneris inde annis domesticorum praeceptorum disciplinae traditus,  
 ex scholis CRYSII, nunc in pago Flemmingen, SCHMIDII in pago  
 Ganzsig, EICHOZZII, apud Volkstadiensis sacra facientium, et FOR-  
 BIGERI S. Theol. Baccalauri et Conrecloris scholae Nicolaitanae  
 Lipsiensis, tum religionis et literarum elementa, tum morum et huma-  
 nitatis praecepta hausit, quibus doctissimis mihiq; amicissimis praecepto-  
 ribus pro singulari eorum studio et cura in animo meo formando meque  
 erudiendo adhibitis, sinceras grates habeo ac persoluo. Ita praepara-  
 tus anno LXXII. civium Academicorum numero a SEGERO, fasces  
 tum tenente, adscriptus literarum humaniorum distendarum causa b. m.  
 ERNESTIO antiquitates Romanas, archaeologiam et historiam catho-  
 licam illustranti, MORO et ERNESTIO veteres auctores interpretan-  
 tibus, CLOBIO mythologiam explicanti operam dedi. Philosophiae  
 cognitionem PLATNERO, magiae naturalis et physices, FVNCIO  
 et LVDWIGIO, botanices POHLIO, matheos ZWANZIGERO de-  
 beo. Historiam imperii Romano-Germanici, notitiam Saxoniae et ar-  
 tem diplomaticam b. m. BOEHMIVS et FRANKIVS, ut et WEN-  
 KIVS me docuerunt. Picturam, architecturae ceterarumque artium,  
 quae pulcrarum nomine veniunt, notitiam, HYBERVS et DAVTHIVS  
 mihi tradiderunt. Cum vero iurisprudentiae studio me dicere consti-  
 tuissem, paulo post SEGERVM Institutionum textum interpretantem  
 audiui, SCHÖTTVM encyclopaediam iuridicam, historiam iuris, ius  
 naturae, romanum, criminale aequae ac Saxonicum tradentem adii.  
 Praeterea in iure Romano RAVIVM Institutiones, SAMMETVM  
 Digesta exponentes, in iure canonico b. m. HOMMELIVM, in feuda-  
 li et publico b. m. FRANKIVS, in medicina forensi BOSIVM, prae-  
 ceptores sequutus sum. Ne vero de rebus iuridicis differendi earum-  
 que



que rationes exponendi facultas me deficeret, WOLLII scholas disputatorias et examinatorias frequentavi. *Artem causas controuersas in foro orandi ut discerem, KINDII lectionibus interfui, usus simul hac in re Venerandi Patris priuata institutione. Quibus praeceptoribus pie colendis, pro summis eorum in me meritis gratissimam mentem palam spondeo. Anno LXXVII. cum M. POBLIO nunc Iur. Vir. Doctore, mihi amicissimo, eius dissertationem de Codicibus Gregoriano et Hermogeniano in cathedra philosophica defendi. Finito ita vitae academicae curriculo, anno LXXVIII. dissertationem de publica rei librariae cura, imprimis Lipsiensi, conscripsi, eamque Praefide SCHOTTO e cathedra iuridica a doctorum dubitationibus vindicare sustinui, ac habitis deinde lectionibus consuetis ad examen primum admisus, iuris utriusque Baccalauri honoribus ab Illustri Iureconsultorum Ordine exornatus sum. Praeterito autem anno ab Amplissimo Senatu Lipsiensi, Patre Optimo tunc Consule regnante, Notarii Publici Caesarei dignitatem adeptus sum. Tandem eodem iam anno examine rigoroso superato, ut summos in iure honores consequeretur a. d. XI. Aprilis huius anni, exercitationem academicam de antiquissimis mercaturae iudiciis publico eruditorum examini subieci, ac paulo post lectionibus pro Gradu ad cap. 16. X. de Testament. et l. 4. de Commercio et Mercat. habit, quae peragenda erant, absolui.*

Quibus speciminibus haustae in hac litterarum vniuersitate iuriscientiae cum ita defunctus esset, ut dignum se tanto Parente, dignissimo olim et amantiissimo, iucunda et nunquam inter nos moritura memoria, collega nostro, filium probaret, promeritos summos in utroque iure honores, hisque annexa omnia iura et priuilegia, heri in Collegio nostro, praecua solemnii creatione consecutus est, simulque

XXIV

que iis adscriptus, qui, si praefiterit, quae praestanda restant, in Collegio nostro suo ordine aliquando affidere possit, et in horum numerum receptus. Quae omnia more maiorum facta esse, hac tabula, impresso, plenioris fidei causa, sigillo nostro, significamus. Dominica Iubilate A. C. MDCCCLXXXII.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA IACOBABERORVM.



W 78

ULB Halle  
005 361 494

3





1782, 4

ORDINARIUS  
SENIOR CAETERIQUE ASSESSORES  
FACULTATIS IURIDICAE  
LIPSIENSIS  
SUMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE

QVONDAM IN COLLEGIO LOCVM OBTINENDI

VIRO CLARISSIMO

ERNESTO GVILIELMO KVISTNERO

IUR. VTR. BACCALAVREO

D. XX. APRIL. A. C. CIOCCCLXXXII

COLLATOR INDICVNT

IN EST

TRACTATIUNCVLAE DE ACTIONE PAVLIANA  
CONTINVATIO

